

Zb
3340



AK. 330 712

5, 6/74

QK. 330

5,674 V. 674.

MEMORIA
VIRI GENEROSI ET BEATI
DOMINI
**JOHANNIS HENRICI
DE GERSTENBERG**

QUATUOR A STIPENDIATIS PRIMI TRIENNII
CELEBRANDA

DIE, QUEM OBIT SUPREMUM,

NEMPE XXVIII MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCLXXIV.

EX QUORUM NUMERO EAM THEOLOGIE STUDIOSUS

Dn. JOH. CHRISTOPH. HENRICUS VOGT

ORATIONE AB IPSO LATINE HABENDA

EO SOLEMNIOREM REDDET.

AD QUAM

IN AUGUSTINIANO SIVE GYMNASIO SENATORIO

HORA X ANTIMERID. FUTURI DIEI XXVIII. DECEMBRIS HUIUS ANNI MDCCLXXX

EXEUNTIS

SECUNDUM VOLUNTATEM B. DEFUNCTI

AUDIENDAM

V I R O S

OMNI SCIENTIA, VIRTUTE ET DIGNITATE PRÆSTANTES,

PATRONOS ET FAUTORES,

PAUCIS

DE GENTE GERSTENBERGIORUM

QUANTUM FIERI POTUIT, REPETITIS,

DECENTISSIME OBSERVANTISSIMEQUE

INVITAT

M. JOH. CHRISTOPH. BESLER,

MINISTERII EVANGELICI SENIOR,

THEOLOG. AUG. CONF. PROFESSOR PUBL. ECCLESIAE AD S. MICHAELIS PASTOR

ET GYMNASII SENAT. PROT. EPHORUS.

ERFORDIAE, TYPIS JOH. CHRISTOPH. GOERLINGII.

MT NOLA
VRI GEWOLT ET STATI
DOMINI
JOHANNIS HENRICI
DE GIESSTENBERG

QUARTER A STRENGTHENED
THE QUEEN OF THE
HAPPY XMAS
DR. JOH. CHRISTOPH. HENRICHUS VON
GIESSTENBERG



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT HALLE (SAALE)
BIBLIOTHEK
DR. GIESSTENBERG
HALLER GIESSTENBERG

Magni omnino eos viros, quibus gloriae et honori majorum suorum virtutem suam etiam adjicere contingit, aestimamus. Hinc scite Euripides cecinit:

*Inest in homine mira et evidens nota,
Probis satum esse, generis illustrat decus,
Quisque celebribus dignus est natalibus.*

Ex quo virum quoque generosum et beatum Johannem Henricum de Gerstenberg judicare solemus. Inter ea, quae a summo Numine accepit, erat genus nobile: Gens enim Gerstenbergiorum antiquis jam temporibus, illis, qui non exigam laudem sunt consecuti, viris floruit, quique nomina sua saeculis praeteritis oblivioni eripuerunt. Saeculo XIII. Marquardus de Gerstenberg, Otto et Wachsmodus fratres de Gerstenberg, Wachsmodus, Otto et Marchardus, Albertus et Theodoricus, fratres, Henricus et Eberhardus, fratres, Volradus de Gerstenberg; Saeculo vero XIV. Dietericus de Gerstenberg, Eccles. colleg. Mariae Virginis Isenaci variis in diplomatibus commemorantur *).

Sequentibus temporibus nihil quidem de gente Gerstenbergiorum occurrit; quod multis ex causis potuit accidere. Injuria temporum saepius fit, ut familiae quondam clarissimae eam ad conditionem redigantur, ut vix prioribus similes, multo minus pares videantur. Ubi sunt familiae olim alias antecessentes fortunis et honoribus? vel plane interierunt, vel ad incertas sunt redactae; aliquamdiu igitur gens Gerstenbergiorum tanquam in obscuro latuit; at Saeculo XVI. per Marcum Gerstenbergium eo clarior rursus apparuit, cum quo omnem pristinum, quin imo multo majorem, quam unquam habuit, est adepta splendorem. Recte de hoc viro M. Frid. Gotth. Gotter, Lyc. Eisenb. Rector in elog. clar. virorum Altenburg.

Præclara hujus viri apud nos opera fuit, qui penetratis omnibus Juris subtilitatibus, ingente thesauro eruditionis comparato, aditisque iis, quae maxima erant, Cancellarii nomen meruit.

* 2

Mar-

*) Legi possunt apud J. H. Falckenstein Lib. 2. pag. 1392 seq. Chronic. thuring. ubi Horn, Liebe, Schütgen et Kreyfig allegavit.

Marcus Gerstenbergius, Jacobum Gerstenbergium, Judicem Oppidi Buttstadii, quod Vinariensi in ditione est situm, patrem, et Annam Neuckin, virginem Erfurtensem MDLIII matrem agnovit. In hoc omnia, quae viros excellentes efficiunt, sese univisse videntur; quippe ei nullae vires et animae et corporis, optimaque educatio, qua felicissima ingenia finguntur, defuerunt; quas dotes a gratia divina largissime acceptas diligentia haud mediocri adhibita ita auxit, ut anno ætatis XX honorem Magistri et XXIII Doctoris Juris utriusque summa cum laude Jenæ sit consecutus. Gradu Doctoris exornato Volcmarus Wolfius, comes Hohensteinensis, Cancellarii munus detulit; cui muneri gravi apud Volcmarum Wolfium ejusque filium hæredem et successor-em, comitem Ernestum, per decennium tanta prudentia, tanta dexteritate præfuit, ut Friderico Guilielmo et Johanni, fratribus et serenissimis Ducibus Saxonum magnum sui desiderium excitaret. Quorum voluntati ut obsequeretur, nihil aliud eum impulit, nisi recordatio beneficiorum, quibus ejus parentes ipseque in eorum terris sunt fructi. Vix vero ab Ernesto, Comite Hohensteinensium, non ignaro, quantum utilitatis sui subditi eximia ex pietate et prudentia hujus viri caperent, Serenissimi Duces, ut eum dimitteret, impetrare potuerunt; nec voti sui essent facti compotes, nisi comiti suo illustrissimo Cancellarius MDLXXXVI promississet, sua ei consilia nunquam defutura. Quod etiam postea sancte præstitit. Hic falcem suam largissimam in messem mittendi, facultatem accepit. Statim ex parte lineæ Ernestinæ congressui, qui ob lites de comitatu Hennebergensi ortas componendas MDXC. habebatur interesse est iustus. Omnes, qui aderant ejus singularem prudentiam satis mirari non potuerunt; Pari est usus felicitate in dissidiis Domuum Serenissimarum, Vinariensis et Coburgensis, quæ Erfurti ex sententia Principum MDXCVIII, ubi præsidebat, sunt sopita. Quod si autem omnes illa cum reliquis bene gestis merito sunt admirati, multo magis eorum animi in eo desigebantur, quod deinde perfecit. Accidit anno MDXCI, ut Christianus I. Elector Saxonum moreretur, cui Christianus II. filius octennis, hæres succederet; cujus suprema tutela Johanni Georgio, Electori Brandenburgico, avunculo; administratio autem Friderico Guilielmo, Duci Serenissimo Vinariensi et Altenburgensi contigit. Serenissimus Administrator vehementissimos, quos Dr. Nicolaus Crellius, Cancellarius, terris in electoralibus excitaverat motus invenit. Crellius novis reformatoribus sive Crypto-Calvinistis, uti audiebant, qui nonnullos ritus dogmataque mutare gestivere, nimis erat addictus; quibus mutationibus attentatis et res ecclesiastica et politica valde concutiebantur; motibus his sedandis consilio pii et prudentis sui Cancellarii, Marci Gerstenbergii Dax Serenissimus ita est usus, ut regimen electorale, quod tunc temporis Torgæ erat, ejus arbitrio attribueret; qua potestate sibi delata ita utebatur, ut postea Serenissimo Administratori totique terræ electorali valde omnia probarentur. Ecclesiæ et reipublicæ turbis sedatis tranquillitateque restituta, Administrator Serenissimus suam ditionem ducalem amplius viro
tali

tali carere noluit, cum igitur terrarum suarum Proprincipem declaravit. Ex quibus facili possumus conjectura assequi, quantis in deliciis suum Gerstenbergium Dux Serenissimus Fridericus Guilielmus habuerit; id quod elucet ex illius verbis, quibus cuidam principi Gerstenbergium exposcenti respondit:

Si tantum pondus auri dones, quanti ad Gerstenbergeri molem æquandam sufficeret, ejus opera carere non possem.

GOTTER I. c. p. 19.

Maxime autem Dux Serenissimus deinde id moribundus circumstantibus liberis, amicis et Marco Gerstenbergio significavit, quippe qui nulli principem filium heredem Johannem Philippum magis, quam Gerstenbergio commendavit. Verba principe Christiano digna sunt:

Hans Lips, bis from und studire fleißig, so wirst du mit der Zeit einen Regenten abgeben, der Land und Leuten nütze seyn wird, und habe den Schwarzkopf in acht: Er hat mehr bey mir gethan, als ich und ihr demselben vergelten können. und zum Canzlar: Thut bey meinen Kindern, was ihr bey mir gethan, und ich um euch wohl verdient habe. vid. Joh. Hübner in feinen polit. Fragen P. V. Joh. Sebast. Müller in Annal. Sax. p. 231. et Joh. Christoph. Rödigeri Sächf. Merkw. p. 549.

Moriebatur Dux piissimus Anno MDCII. Cujus filio hæredi tutores erant Christianus II, et deinde Joh. Georgius I, Electores Saxonum. Quo mortuo MDCIV terrarum inter Joh. Philippum minorennem et Johannem divisio fiebat. Qua divisione invidi Marci Gerstenbergii eum apud Johannem, Ducem Altenburgi commorantem criminandi, quasi hujus utilitatem neglexisset, occasionem arripuerunt. Licet suam innocentiam evidentissime demonstrasset, gratiam tamen viduæ Johannis, Ducis demortui, priorem acquirere amplius non potuit; hinc evenit, ut ad Electorem Saxonum, Christianum II, arcefferetur, cujus Successorisque Georgii I. negotia gravissima ita peregit, ut summas laudes antea obtentas usque ad vitæ suæ exitum felicissime conservaret.

Abfuit, ut ejus prudentiam tantum Saxoniam admiraretur, ut potius etiam extræ potentia ejus consilia desiderarent. Tunc temporis inter Rudolphum II. Imperatorem Romanorum invictissimum et ejus Fratrem Matthiam discordia gliscere cæpit; in qua avertenda opera Marci Gerstenbergii missi MDCVIII ad Matthiam Zafchlam haud exigua fuit, restituta priori fraterna concordia; idem etiam Gerstenbergio contigit in controversiis, quæ eodem anno inter Rudolphum Imperatorem et regnum Hungariæ eruperunt; quæ ejus prudentia ex omnium voto sunt finita. Quid! quod in Bohemia, quod supra vires privati plane videbatur a Cæsare Rudolpho II. dignus iudicatus fuit, qui inter majestatem et status Bohemiæ arbiter esset.

vid. Gotter I. c. p. 18. imprimis Hoë ab Hoenegg oration. funebr. p. 26.

Inde etiam Ordines regni Bohemiae MDCIX eum in numerum ordinis primarii recipere, quo ejus magna beneficia compensarent, decrevere. Hic fortunam illi ab Imperatore invictissimo Rudolpho II. et Eminentissimo Electore Moguntino, Wolfgango, ex illustrissima Familia de Dahlberg oriundo, praterire nolui, qui ei MDXCIV. Vice-Cancellariatum Imperii detulerunt; quam dignitatem summam ob amorem Domus Saxonicae humillime est deprecatus. Vid. Hoë ab Hoenegg c. I. ut multa paucis complectar: Marcus Gerstenbergius omnibus aderat in negotiis, quae successione Juliacensem tunc temporis agitatam respiciebant; mittebatur Coloniam, Pragam, Juterbocum, Viennam, Norimbergam ad principum comitia; Francofurtum ad electionem et coronationem novi Imperatoris. Quantam fiduciam, si discesseris a Deo, Erfurtum in prudentia illius a. 1609 posuerit, litera mutuo data testantur.

Attamen hic vir, qui tot et tantis negotiis erat occupatus, nunquam pietatis officia intermisit: Singulare habemus exemplum. Societas quaedam a Serenissimis Saxoniae Ducibus contra nominis divini abusum nefandum MDXC condebatur; Duces piissimi praecipue secundi verborumque Redemptoris optimi: Quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddituri sunt rationem in die Judicii, non erant immemores. Ista Societas Ducibus, principibus aliisque summis viris constabat, quorum in numero Marcus Gerstenbergius quoque habuit suum locum *). Veritatis coelestis, quae ad pietatem non fucata ducit, erat amantissimus. Locupletes, praeter alios multos, sunt testes Johannes Gerhardus, ornamentum olim Theologorum Jenensium et Matthias Hoë de Hoenegg, supremus quondam Aulæ elector. Dresd. Concionator; quorum ille in epistola MDCVIII ad Johannem Arndium scribit: Non solus ego exspecto, sed mecum alii docti et boni, quorum catalogum bene longum tibi enumerare possem. Inter eos primum facile locum obtinet Cancellarius Altenburgensis, Doctor Gerstenberger, cui primus liber ita placet, ut reliquorum etiam desiderio teneatur; hic vero multa in oratione funebri suppeditavit; Afferri etiam ea, quae supra de motibus a Crellio, patrono Crypto-Calvinistarum, uti appellabantur, suscitatis et a Marco Gerstenbergio sedatis commemoravimus.

Quam diu Altenburgi erat, haud exiguum discipulorum pauperum suis sumptibus quotidie aluit: ne vero sedis musarum Jenensium, ubi tantum eruditionis thesaurum, fortunante Deo, largo quasi in mercatu comparaverat, oblivisceretur, ex iis facultatibus, quae ei acciderant, constituendo mensam Convictorii, egenis studiosis consuluit, quae adhuc cum aliis ibi existit. Satur denique negotiorum, quae bene gessit; satur honorum, quibus ob res praecclare gestas est accumulatus, more veri Christiani, fretus misericordia divina et sufficientissimo Redemptoris merito diem supremum suum obiit, tradita anima sua immortalis ei, qui eam redemit; corporis autem exuvia Templo Sophiae, quod

*) vid. Disc. von Chur- und Fürstl. Sächs. Ritter- und andern Orden p. 3 seq.

quod est Dresdæ, solemniter sunt demandatæ, ubi iustis optatissimam expectant resurrectionem. Characterem viri hujus monumentum in templo dicto positum sistit:

Beatis manibus

Marci Gerstenbergeri, J. U. D. celeberrimi, in Drackendorf, Schwerstedt, Schibelaw et Leutenthal hæreditarii, Cancellarii, primum Hobensteinensis, tunc Saxonici Vinariæ, Torgæ, Altenburgi et tandem Serenissimorum Electorum Saxonie Christiani II. et Job. Georgii Consilarii intimi, fidelissimi viri, qua corporis staturam heroicam, qua animi expeditissimi præstantiam, virtutem et fidem antiquam, rerum gestarum gloriam, auctoritatem, et qua fortunas justissime partas vere magnifici, nobilissimi, amplissimi Ecclesiarum nutritii, Scholarum Patroni, pacis et tranquillitatis publicæ obsidis, et cum in aliis, tum vero Bohemicis et Juliacensibus legationibus, ubi ad turbas spectabant omnia, sequestri solertissimi, ab Imperatoribus, Regibus et Principibus expetiti, subditorum patris mitissimi. Nascitur anno MDLIII. XIV. Martii, moritur anno MDCXIII. XXII. Augusti.

Licet autem nullus neque ex ejus posteris, neque ex reliqua Gerstenbergiorum gente eo, quo Marcus Gerstenbergius, ascenderit; toti tamen suæ genti erat exemplari, quo omnes ad virtutis et honorum studium sunt incitati. Hinc evenit, ut Gerstenbergii illi, qui Buttstadio relicto Erfurto commigrarent, nunquam non Marcum Gerstenbergium sibi ante oculos posuerint. Fuerunt, qui patrios lares Buttstadii cum Erfurto mutarent duo Gerstenbergii, Michaël, qui Erfurto supremam tunc temporis dignitatem senatoriam Quatuorviri est adeptus, mortuus est MDCXXVII. Alter Joachimus Gerstenbergius, qui tandem MDCLVI vita est defunctus, obtinuit eandem Quatuorviri dignitatem; cujus Filius Johannes Joachimus Gerstenbergius MDCXIV natus, patre dignus ab inferioribus subselliis tandem quoque, ut ipse Pater ad gradum Quatuorviri est evectus, qui a MDCLXXXII est mortuus; de quo et duobus supra memoratis orationes funebres et personalia plura memoria digna nobis tradiderunt. Michaëlis ex stirpe erat, quem nuperissime muse lugebant, Fridericus Henricus de Gerstenberg, primum Judicii Elector. Moguntini Assessor, deinde præfectus Gisperslebiensis et regiminis Electoralis consiliarius, quem denique Illustrissimus Proprius Princeps et Protector gratiosissimus ob eximiam doctrinam Directorem Societatis scientiarum utilium, quæ Erfurto floret, denominaverat. Usque ad annum MDCCXII Gerstenbergii variis ex causis impulsu titulo nobilium abstinere, at eodem anno unanimiter nobilitatem suam renovatum Carolum VI. Imperatorem invictissimum literis supplicibus adierunt, quorum humillimæ petitioni Majestas Cæsarea quoque clementissime annuit. Plura de hac gente afferre limites nobis præscripti admittere nolunt; Deferor igitur ad eum, qui etiam suam a Michaële originem traxit, et qui mihi occasionem hæc scribendi dedit: Est
Ille

Ille Vir quondam generosus JOHANNES HENRICUS DE GERSTENBERG, filius Johannis Andreæ de Gerstenberg, et Marthæ Veronicæ, filiæ Johannis Henrici de Gerstenberg, confobrinatorum; cujus avus maternus patrini munus sacro in lavacro isto, quo die XXVII. Octobris pridie natus MDCCVIII est renatus, subiit. Vitam suam ita egit, ut nunquam gentis suæ et exemplaris Marci Gerstenbergii esset immemor. Litteris quidem nobilitati suæ aptis erat imbutus, nec semel operam suam rebus publicis obtulit; sed voti sui nunquam damnatus privatus sua forte erat contentus. Duxit tandem uxorem Susannam Elisabetham Büchneram, virginem honestissimam, quæ post mariti mortem Viro generoso de Piper, Postarum imperialium Directori, rursus est nupta, et exiguo deinde temporis interjecto intervallo opinione citius fatis est correpta.

Cognita infirmitate corporis beatus Joh. Henricus de Gerstenberg, quia sine prole erat, de facultatum suarum dispositione cogitavit, quo omnibus disceptationibus, quæ plerumque alias oriri solent, obviam iret. Suam igitur ultimam voluntatem MDCCCLXXIV. d. XXVI. Novembris legitime solemniterque declaravit, qua uxorem suam, exceptis Legatis quatuor Studiofis Theologiæ, suis cognatis, Ecclesiæ Mercatorum, Orphanotropeo destinatis, hæredem universalem constituit. Sine dubio Marcum Gerstenbergium, gentis suæ virum excellentissimum ratione Studioforum est imitatus. Denominationem eorum Studioforum Dominis Senioribus amplissimi Senatus August. Confessionis et reverendo Ministerio evangelico conjunctim; administrationem autem et distributionem solitarie Ministerio decrevit. Voluit vero ut ipsius memoria triennis singulis oratione quadam latina ab uno ex numero Stipendiatorum in Augustiniano evangelico conservaretur, quo ipsius amor patriæ intelligeretur pluresque alii ad eadem beneficia excitarentur. Cui conditioni et Amplissimus Senatus August. Confess. et Ministerium refragari minime potuerunt, quo magis nefas duxerunt Legi XII. Tab. antiquissimæ repugnare:

Honoratorum virorum laudes in concione memorantor.

Voluntate igitur beate Defuncti comprobata, quatuor illi DDni Studiofi Joh. Christoph. Henricus VOGT, Fridericus Augustus FRANCKE, Johannes Sylvester FROBENIUS, Fridericus Rudolphus KRANICHPELD, optimorum parentum filii in Augustiniano apparebunt; quorum primus crastino die XXVIII Decembris, quo ex hac vita b. GERSTENBERG discessit, in Legatoris memoriam, debiti et gratitudinis causa orationem latinam recitabit. Ad quam hora X antemeridiana audiendam actumque ipsum condecorandum Viros scientiis, virtute et dignitatibus excellentes, Patronos, Fautores, Musisque Academicis amicos, Senior Ministerii evangelici, cui hujus actus a beato Defuncto est demandata directio, decentissime observantissimeque invitat. P. P. Erfurti die XXVII. Decembr. A. R. S. MDCCCLXXX.

Cantata.

Der
Feyer und dem Angedenken
der rühmlichen
von Gerstenbergischen Stiftung
gewidmet.



Solo.

So schön gieng nie ein Jahr zu Ende
Euch, deren Busen dankbar bebt;
Euch, die ihr heute Herz und Hände
Hinauf zum Herrn der Herrn erhebt.
Ja Freunde! singet Jubellieder
Denn schon zeigt euch Jehovah wieder,
Wie hold er um die Seinen schwebt.

Chor.

O fühlt es, wie Er euch das Leben verlüßt!
O schmecket und sehet, wie freundlich Er ist!

* Solo.

Solo.

Er, der der Menschen Herzenstriebe
Lenkt — Bächen gleich, wie Er will lenkt,
Hat Gerstenbergs wohlthätige Liebe
So vielen Dürftigen geschenkt.
Was ist der Mensch, aus Staub gebauet,
Daß der Allmächtige auf ihn schauet
Und sein so Gnadenvoll gedenkt?

Chor.

O fühlt es, wie Er euch das Leben verfüßt!
O schmecket und sehet wie freundlich er ist!

Recitativ.

O schöner Tag, der Dich, o Gerstenberg, uns gab!
Mit Dir kam Heyl außs Vaterland herab.
Du Theurer! stohst uns zwar, doch stoh uns nicht Dein
Seegen.
Der Armen Auge blickt, geführt von diesem Seegen,
Zum Himmel auf und weinet Dank.
Und unser Herz, in sanft Gefühl zerfloßen,
Erhebt sich zum Gesang.

Arie.

Wie hoch, wie froh beglücktet
Lebt dort ein frommer Mann!
Dort sieht er erst entzücktet,
Was er alhier gethan.
Dort, wo er schöner lebt,
Und Jesu Thron umschwebt.

Chor.

Chor im Kundgesang.

Hier stehn erquickte Waisen,
Die froh die Stunde preisen,
Wo Gerstenberg gerühret
Auf Elternlose sah.

Dort weinen froh die Armen,
Daß Gerstenbergs Erbarmen
Die Matten so erquickte
Und Traur'gen Freude schuf.

Und Freude wallt im Busen
Der feurig frohen Musen,
Und was ihr Herze fühlet,
Rühmt ihre Zunge laut.

Vom Chor gerührter Lehree
Und heilsbegierger Hörer
Erschallt in Schul' und Tempel
Die Jubelstimme hoch.

Du wirst in heiligen Chören
Aus Jesu Mund nun hören:
Was Du an Brüdern thatest,
Das hast Du mir gethan.

Nach

Nach der Rede.

Chor.

Schlaf, frommer Gerstenberg, schlaf wohl!
Dich dankbar zu verehren
Sey unsre größte Pflicht.
Hier sorgtest Du, nach Deiner Tugend,
Eh Gott von uns Dich zu sich rief
Fürs Vaterlandes Glück;
Dort betet noch Dein Geist
In jenen höhern Ehren
Für uns vor Gottes Angesicht.

76 3340 QK

ULB Halle
007 141 343


3



76 3340 QK







B.I.G.

Farbkarte #13

Qk. 330

5,674 V. 674.

MEMORIA
VIRI GENEROSI ET BEATI
DOMINI
JOHANNIS HENRICI
DE GERSTENBERG

QUATUOR A STIPENDIATIS PRIMI TRIENNII
CELEBRANDA

DIE, QUEM OBIT SUPREMUM,
NEMPE XXVIII MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCLXXIV.

EX QUORUM NUMERO EAM THEOLOGIÆ STUDIOSUS

Dn. JOH. CHRISTOPH. HENRICUS VOGT

ORATIONE AB IPSO LATINE HABENDA
EO SOLEMNIOREM REDDET.

AD QUAM

IN AUGUSTINIANO SIVE GYMNASIO SENATORIO
-HORA X ANTIMERID. FUTURI DIEI XXVIII. DECEMBRIS HUIUS ANNI MDCCLXXX
EXEUNTIS

SECUNDUM VOLUNTATEM B. DEFUNCTI
AUDIENDAM

V I R O S

OMNI SCIENTIA, VIRTUTE ET DIGNITATE PRÆSTANTES,
PATRONOS ET FAUTORES,

PAUCIS

DE GENTE GERSTENBERGIORUM

QUANTUM FIERI POTUIT, REPETITIS,
DECENTISSIME OBSERVANTISSIMEQUE
INVITAT

M. JOH. CHRISTOPH. BESLER,
MINISTERII EVANGELICI SENIOR,

THEOLOG. AUG. CONF. PROFESSOR PUBL. ECCLESIAE AD S. MICHAELIS PASTOR
ET GYMNASII SENAT. PROT. EPHORUS.

ERFORDIAE, TYPIS JOH. CHRISTOPH. GOERLINGII.